THEMA JURIDICUM INAUGURALE 36.ª
AD MATERIAM

DE EXECUTORIBUS TESTAMENTARIIS ET JURE PATRONATUS,

QVOD
DEO ANNUENTE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRID. WILHELMO,

REGNI BORUSSICI ATQVE ELECTORATUS BRANDENBURGICI HEREDE REGIO &c. &c.
PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

JCTO LONGE CELEBERRIMO,
AUGUSTISS. atq; POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO INTIMO, FACULTATIS JURIDICÆ ORDIN. ET ANTECESSORE PRIMARIO,
h. t. PRO-RECTORE ET DECANO,
Domino Patrono ac Promotore omni obſervantia colendo,
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES ET PRIVILEGIA CONSEQVENDI,
Ad D. XXI. Sept. Horis ante- & pomeridianis An. MDCCIX.
Publico Eruditorum examini ſubmittit

JOACH. HENR. LANG,

Colbaz. Pom.

FRANCOF. ad VIADR. *Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.*

Digitized by Google

I. N. J.

THEMA JURIDICUM
Ad materiam
De
Executoribus Teſtamentariis
Et
Jure Patronatus.

PROOEMIUM.

NUlla fuit tam barbara gens, quæ non præcipuam egerit curam juventutis ſuæ inſtituendæ, iis ſaltem artibus, quibus commoda mortalium augeri habuerunt perſvaſum. Sic nationes bellicoſas armis, maritimas remis, luxuriæ deditas exercitationibus ad voluptates pertinentibus, â teneris ſuos aſſveſeciſſe, rerum geſtarum teſtantur monumenta. Politioris ingenii populi eo majori ſtudio de ætate illa formanda fuere ſoliciti, quo intenſiori amore literarum ſtudia ſunt complexi, quibus ut impertirentur juvenes, certa quaſi conſtitue-

Digitized by Google

runt emporia. Phœnices & Ægyptii, quibus tantum non omnes inventarum literarum tribuunt gloriam, ſua habuerunt collegia, in quibus juvenes ſapientibus dedere operam. *Eumolpidarum* in Thracia, *Magorum* in Perſia; *Brachmanum* in India, *Gymnoſophiſtarum* in Æthiopia, *Druidum* in Germania celebria magis ſunt collegia, quam penitus cognita. Hebræorum Doctores & rarius & ſanctius doctrinam ore traditam ad poſteros transmiſerunt ſuos. In *Synagogis* vero ipſorum tum adultiores tum juniores præcepta hauſiſſe divina, quis eſt quem fugiat? Græci & Romani ut omnes gentes ſcientia, ita ſcholarum quoque & Gymnaſiorum ſuperarunt multitudine. Illorum quidem Philoſophi, cum ſuum quisque duceret cœtum, infinitis Sectis & Scholis dedere originem. Cum enim in doctrinæ capitibus conſentirent minime, ſeparatos quoq; inſtituerunt ludos literarios, quos diverſis inſignitos voluerunt nominibus. Hinc dicta *Athenæa, Diatribæ, Prytanea, Muſea, Gymnaſia*, quorum mentionem ſæpe injiciunt ſcriptores. Attica civitas ſedes Minervæ id conſecuta eſt, ut celeberrima illa tria Gymnaſia, *Academia* Platonis, *Lyceum* Ariſtotelis, *Stoa* Zenonis nullibi locorum ſint ignota. A Græcis non rationem ſolum tradendi literas, ſed officinarum quoque literarum, nomina accepere Romani. Philoſophiæ enim Græcæ ſtudium *Lycei* & *Prytanei* nomina Romanis etiam villis propria fecit. Noſtra ſecula renatis literis non minus fœcunda ſunt ſapientiæ Collegiis. Habet Germania, Gallia, Italia, Anglia, Belgium &c. *Academias Gymnaſia*, *Scientiarum Collegia* & *Scholas* ad ſummum faſtigium evectas. Principes & Muſarum Patroni pietate

Digitized by Google

etate in Deum & amore literarum ducti & hodienum omnes eo conferunt cogitationes, ut in noſtris quoque terris artium officinæ conſtituantur, conſtitutæ majora indies capiant ornamenta. Nos de Collegio Literario Thema quoddam proponere in animum induximus, ut appareret, quantum Reip. interſit, ludos literarios ſua florere integritate.

THEMA.

Teſtator Vir in civitate quadam Pomeraniæ ſpectatæ & virtutis & auctoritatis omnique laude dignisſimus, facto teſtamento alterum condidit, quo & prius confirmavit, & ſummam ----- flor. legavit ad fundandum Collegium literarium, motus ratione quam ipſe ita expoſuit: Als ich auch befunden/ daß alhie für gute arme ſtudirende Knaben und Geſellen ein nützlich Werck könte geſtifftet werden; Zumahlen ſich offt begiebet daß manches ſtatliches Ingenium wegen Mangel der Unkoſten die Studia zeitlich verlaſſen muß/ und deßwegen an gelehrten geſchickten Leuten in allen dreyen Ständen endlich wohl ein Mangel vorfallen könte; als habe ich zu An- und Auffrichtung eines ſo Chriſt- und Löblichen Collegii den wahren Armen zum beſten ----- fl. hiemit und in Krafft dieſes vermachen wollen.

Damit aber dieſes ſoviel eher und beſſer ins Werck gerichtet werde/ ſo werden E. E. und Wolw. Rath als Patroni Kirchen und Schulen und ein Ehrwl. Miniſterium alhier meinen verordneten Teſtamentarien/ väterlich Asſiſtence zuleiſten/ und wie es ihnen ſelbſt rühmlich und gedeylich/ dieß mein wollgemeintes und GOTT wollgefälliges Werck und Vorhaben aller

Digitized by Google

Möglichkeit nach befordern zuhelffen/ hiemit treulich erſuchet. Tum conſtituta ſumma pergit:

Auf den Fall aber dieſes Löbl. Werck und Stifftung des Collegii in 3. Jahren à tempore publicationis nicht in Schwang gebracht/ ſondern vorſetzlich verhindert werden ſolte / ſollen ſolche ----- fl. an meine Hauß-Frau und meine ſämbtliche Freunde / ſo als wie ſie die Freundſchafft/ wie recht/ erweiſen werden/ verfallen ſeyn / ꝛc.

Damit aber alles/ was ich in meinem letzten Willen diſponiret/ gebührlich vollzogen werden möge/ als ordne/ ſetze und erwehle ich zu dieſes meines letzten Willens und Geſchäffts unzweifflichen Teſtamentarien und Executoren den (Tit.) Hn. N. N. Burgermeiſter/ Hn. N. N. und N. N. beyde Notarien und Bürger/benebſt den Elteſten der Ehrliebenden Zunfft der Schneider hieſelbſt. Gebe ihnen ſambt und ſonders hiemit und in Krafft dieſes vollkommene Macht und Gewalt nach meinem Abſterben von Stunde an darauff zu ſeyn und mit allem Fleiß zuhalten/ daß nach meinem ſeel. Abſcheide dieß mein Teſtament und letzte Willens-Ordnung in allen Clauſulir und Puncten/ wie obgeſchrieben/ allenthalben vollzogen/ feſtiglich gehalten und fort geſetzet werden möge; wie ich den itzt benandte Teſtamentarien dienſtlich und um Gottes Willen gebehten/ zu ihnen als meinen vertrauten Freunden auch das gäntzlich Vertrauen geſetzet haben will/ daß ſie ſich dieſer meiner diſpoſition nach meinem ſeeligen Abſchiede Brüderlich annehmen dieß mein Teſtament in / oder auſſerhalb Rechtens vertretten/ beſchirmen ſteiff und feſt darüber halten/ und die ſo daſſelbe anzufechten ihnen gelüſten laſſen möch-

ten/

Digitized by Google

ten/ mit gebührlichem Rechte verfolgen und ſich hierin allenthalben alſo bezeigen werden/ wie ſie gerne wolten/ daß ihnen in gleichem Fall von andern wiederfahren ſolte. Ich beſcheide ihnen auch etwa zum Recompens meines ſeel. Bruders N. N. Wohn-Hauß gegen der Cämerey auf der N. N. Straſſen Orthe belegen/ neben aller zubehörung/ ſich darum friedlich zu vergleichen/ nicht zweiflende/ daß ſie ſolche Verehrung für lieb und gut annehmen und keinen Zwiſt/ Hader/ Zanck und Eydſchwur über dieſen meinen letztem Willen verſtatten werden.

Cum poſt paucas hebdomadas, quam teſtamentum hoc fecerat, obiret Teſtator Anno 1631. Executores omnes, à Principe quoque confirmati, rei curam ſuſceperunt, ſed per notisſimas temporum iſtorum difficultates illis perficere opus non licuit. Et quamvis Anno 1634. teſtandæ diligentiæ ſuæ cauſa duos Profeſſores vocaverint, illi tamen per eadem temporum fata nondum ſuſceptum munus jam derelinquere coacti ſunt. Qua de cauſa Executoribus, ne lapſu triennii lex teſtamenti committeretur, e re viſum fuit, teſtimonio principis exhibito docere, per ſe non ſtetiſſe. Deinde cum quibusdam Executoribus mortuis, reliqui ſe impares negotio ſentirent, egere cum Senatu, ut ipſe tanquam Patronus curam legati una ſuſciperet anno 1647. Sed cum nec tũ per Senatũ res in melius procederet, ſummus Provinciæ Princeps anno 1660. certior de legato factus Conſiliariis quibusdã & Superintendenti id negotii dedit, ut cauſa moræ explorata, ad ſe referrent. Illis vero re cognita viſum fuit, ſi Principi placeret alia provinciæ legata huic adjungere, poſſe Splendidisſimum

&

& Illuſtrisſimum condi Gymnaſium, eamque ſententiam ſuam Principi expoſuerunt. Sed Anno 1668. Collegium eſt inſtauratum, & quatuor Lectores â Senatu vocati, qui tum Jure Patronatus usque ad Annum 1696. nemine contradicente uſus eſt. Cum autem de jure vocandi dubitaretur, quædam emergunt inde quæſtiones:

QUÆSTIO I.

Num Executoribus Teſtamentariis competat jus Patronatus ſeu vocandi Lectores Collegii?

Rationes Dubitandi:

Id quidem ita videri poterat his rationibus:

1. Quod Executoribus illis facta eſſet plenaria poteſtas poſt mortem teſtatoris in omnibus articulis implendæ tuendæ & exequendæ ultimæ voluntatis.
2. Quod iis ſolis cauſam commiſerit, de ſua in eos fiducia prolixe teſtatus, adeo ut Senatum tantum asſiſtere rogaverit.
3. Quod ipſi actu vocaverint Profeſſores & quidem omnium primos.
4. Quod loco heredum ſint & repræſentent Perſonam Teſtatoris, ex *Bart. vol. 1. conſ. 3. n. 3. & ad l. ſi quis 49. n. 4. C. de Epiſc. & Cler.*
5. Allegatur abuſus, quod loco pauperum alumnorũ, qui ab executoribus præſentati ſed rejecti fuere, conſulum filii adſciti ſunt.
6. Rem Deciſam eſſe per judicata & reſponſa pro Executoribus.

Ratio-

Rationes Decidendi:

1. Verum Executoribus Teſtamenti competere jus Patronatus, adeo cum certisſimo notisſimoque Jure perinde ac cum ipſo Teſtamento adverſa fronte pugnat, ut nihil â jure & ab omni ratione alienius concipi ac fingi posſit. Et infirmæ penitus ſunt, quæ afferuntur rationes, ut perpendenti patebit.

2. Nemini ſane adhuc in mentem venit, ſub nuda executione teſtamenti contineri Jus Patronatus, vel quod ineptius adhuc fingitur, quaſi Jus Patronatus. Nec ex eo, quod Teſtator in Teſtamento ſuo legavit certam ſummam ad fundandum Collegium, inferri & probari poteſt, eum jus Patronatus quoque conceſſiſſe Executoribus Teſtamenti. Neque quicquam commune habent executio Teſtamenti & jus Patronatus ſeu jus præſentandi Profeſſorem. Debet igitur id jus rite probari.

3. Porro Executores Teſtamenti non niſi nudi mandatarii ſunt, quibus Teſtator commiſit & mandavit curam & negotium exequendi Teſtamenti. Hoc in *c. 19. X. de Teſtam.* his verbis notatu dignisſimis exprimitur: *Executores ultimæ voluntatis O. Clerici, qui piis locis legavit, mandans inſuper ſatisfieri creditoribus per eosdem, poſt mandatum ſuſceptum cogi debent teſtatoris explere ultimam voluntatem.* Et alibi dicuntur deputati ad executionem Teſtamenti ut *in c. ult. princ. & §. fin. de Teſtam. in 6. Clement. un. eod. tit.* Deputati vero nihil ſunt, niſi mandatarii. Nemo autem adhuc dixit nudos mandatarios per ſuſceptum mandatum acquirere ſibi jus Patronatus. Suſcipiendo enim mandatum nemo ſibi jus

B quod,

quoddam acquirit, ſed merum onus pro altero ſuſcipit, ex quo omne jus ad alterum, nullum ad ipſum pertinet.

4. Præterea Jus Patronatus eſt jus quoddam proprium, quod ſuo modo in bonis Patroni eſt *c. 7. X. de jure Patr.* & quod ſemel rite quæſitum cum bonis eſt tranſitorium ad heredes, & titulis jurium translativis transmittitur, ceteris paribus, ad alios, quæ omnia veteres verſiculis incluſere, quos recenſet Gloſſa ipſa ad *c. 13. X. de jur. Patr.* & hi ſunt:

Jura Patronatus tranſire facit novus heres,
Res permutata, & donatio, venditioque.

Vid. Math. Steph. *de jure Patroni cap. 17. n. 1. ſeqq.*

Quin & propria commoda habet Jus Patronatus & inter fructus computatur: quæ jura itidem Gloſſa *in c. 25. X. eod. tit.* verſiculis incluſa ita refert:

Patrono debetur honos, onus, utilitasque;
Præſens ut præſit, defendat, alatur egenus.

vid. Ungepaur. *ad Decretal. tit. de Jur. Patron. n. 37.*

Hæccine vero ex mandato quæruntur? Num mandatum eſt titulus juris proprii translativus, quo non niſi alienum negotium nudumque onus adminiſtrationis rei alienæ committitur, nihil vero proprii juris conceditur? *l. 1. princ. voc. aliena ff. de Procurat. l. 61. §. 5. ff. de Furt.* in verbis: *quod ejus cum quo contraxerit, non etiam ſui commodi cauſâ ſuſceperat.* Atq; ita etiam de jurisdictione dicitur, quod *qui mandatam ſuſcepit, proprium nihil habeat. L. 1. §. 1. ff. de Off. ej. cui mand.*

Accedit 5. quod Jus Patronatus non poſſit de novo ex Teſtamento vel actu privati conſtitui; cum certi modi jure publico definiti ſint, quibus ſolis introduci poteſt, nim. ipſa fundatione, exſtructione & dota-

Digitized by Google

dotatione. *Nov. 123. cap. 18. & Jure Canon. c. 25. X. de Jur. Patr. c. 32. c. 33. cauſ. 16. qv. 7.* Quod hoc verſiculo vulgo inculcant:

Pátronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

vid. *Ungepaur d. tit. de Jure Patr. num. 12.* & late *Math. Steph. de Jur. Patr. part. 1. cap. 13, cap. 14. c. 15. c. 16. Finckelthaus de Jure Patr. cap. 1. n. 9. & cap. 4. n. 44. & ſeqq.* Etſi enim jus Patronatus ſemel quæſitum ad alios quoque ex juſto titulo tranſeat, recens tamen conſtitui nequit arbitrio privato, ſed certis demum modis, prout accurate hoc expoſuit. *Matth. Steph. d. tract. cap. 17.*

Sed & 6. nec hoc ſufficit ad conſtituendum jus Patronatus, niſi & acceſſerit conſenſus Epiſcopi. Id enim expreſſe traditum eſt *c. 11. c. 20. c. 25. X. de jure Pat. Finckelthaus d. tr. cap. 4. n. 6. ſeqq. Matth. Steph. d. part. 1. c. 12.* Neque igitur Teſtamento hoc conceſſum fuit Executoribus Jus Patronatus, neq; vel teſtamento vel mera auctoritate privata concedi potuit. Tantum abeſt, ut ſub mera executione contineatur.

Videamus vero 7. quantum interſit inter merum officium executorum Teſtamenti, & inter jura ipſa, quæ teſtamento relicta ac conceſſa ſunt. Hæc illis competunt, quibus illa relicta & conceſſa ſunt; hi illa petunt, capiunt, exercent, iisque utuntur: Executoribus vero cura tantum injuncta eſt, tum ut illi capere & percipere poſſint, tum ut rite & ex voluntate teſtatoris ea exerceantur. Ita v. g. heres exequi voluntatem defuncti in univerſum debet. Ille eſt executor teſtamenti generalis. *l. 28. princ. C. de Epiſc. & Cler.* Ille, ſi id impugnetur, legitimus defenſor & contradictor. *l. 36. § fin. C. de inoff. teſt. l. 5. §. 1. l. 14. in fin. pr. ff. de Appell.* & ex ejus manu omnes capiunt *l. 1. §. 2. ff. Quod legat. &c.* Quod ſi vero

 heres

heres moram faciat, vel perfidia aut impio conſilio non impleat voluntatem defuncti, tunc executor, ſi quis ſtatutus eſt, urget, vel adito quoque Magiſtratu compellit, ut impleat *d. l. 28. §. 1. & 2. C. de Ep. & Cler. d. l. 36. §. fin. C. de inoff. teſtam. c. 19. x. de Teſtam. Nov. 131. c. 11.* Et ſic vice verſa; ſi heres conſequi hereditatem aut implere ultimam voluntatem non poſſit, executores illi aſſiſtunt.

8. Atque hoc jam ex ipſis teſtamenti verbis perſpicuum eſt §. Damit aber alles ꝛc. Non enim ibi Executoribus teſtamenti datur poteſtas præſtandi & implendi ea, quæ teſtator voluit, ſed expreſſe tantum cura iis committitur, ut ea præſtentur ac impleantur ab his, quorum illæ vices ſunt; Hæc enim diſerta ejus verba ſunt: Gebe ihnen Macht und Gewalt *NB.* darauff zu ſeyn und mit allem Fleiß zu halten/daß dieß mein *Teſtament* allenthalben vollzogen/ feſt gehalten und fortgeſetzet werden möge. Aliud vero longe eſt, implere ultimam voluntatem, aliud curare, ut impleatur per eos, quibus id incumbit. *per l. 83. princ. ff. de Verb. obl. §. 3. de inutil. ſtip.* Hoc procuratorum ſeu mandatariorum eſt, & mandato hoc continetur, non ut ipſi agant, nedum jus inde acquirant, ſed ut operã dent, ne ab iis, quorum illæ partes ſunt, intermittatur.

9. Certum igitur plane & manifeſtum eſt, hoc mandato non concedi mandatariis jus Patronatus, nec committi iis, ut ipſi Docentes præſentent aut vocent, ſed ut curent & operam dent, ne id negligatur ab iis, quorum id jus eſt, & ut debite ab illis fiat præſentatio aut vocatio.

10. Sed & ipſe Teſtator diſertisſime diſtingvit inter Executores & Patronos atque hos illis aſſiſtere vult in §. damit aber dieſes ꝛc. his verbis: So werden E. E. und

Wohl-

Wohlwl. Raht als *Patroni* Kirchen und Schulen und Ehrwl. *Miniſterium* allhier meinen verordneten *Teſtamentar*ien Väterl. *Aſſiſtence* zu leiſten ꝛc. erſuchet. Apertisſime igitur Teſtamentarios à Patronis ſecernit. Et fruſtra diceretur, vocem, als/ aliquando esſe notam ſimilitudinis, cum & ſermo evidens, & licet ita vis verbo fieri poſſet, nihil tamen obſtaret, cum ſenatus vere fuerit Patronus Eccleſiarum & Scholarum, de quo ad *quæſt.* 3.

11. Equidem inſpecto Teſtamento eluceſcit B. Teſtatorem juris vocandi aut præſentandi Lectores nullam penitus mentionem injeciſse, neque vel verbo illius, ſed extructionis Collegii tantum meminiſse. Etſi vero vocatio Lectorum ſequatur extructionem Collegii, alii tamen poteſt mandari cura extruendi Collegii, alii vero competere jus vocandi aut præſentandi lectores, neque plane alterum ex altero ſequitur, nec hoc ex illo recte concludi aut probari poteſt.

12. Denique apertisſime in calce Teſtamenti fines officii Executorum deſcripti, reſtrictumque illud ita eſt, ut quaſi procuratores illud via juris defenderent, in verbis: Daß ſie dieß mein *Teſtament* in = oder außerhalb Rechtens vertretten/ beſchirmen/ ſteiff und feſt darüber halten/ und die ſo daſſelbe anzufechten ihnen gelüſten laſſen möchten/ mit gebührlichen Rechte verfolgen. Quæ verba diſertisſime depingunt Procuratorem Teſtamenti cauſam jure defendentem, non vero Patronum Lectores vocantem.

13. Sed & in inſtrumento illo, quo d. 11. Aug. 1647. in Senatu conventum & veluti transactum fuit de hoc jure, certusque quaſi modus datus ac præſcriptus fuit adminiſtrationi Collegii, omnes unanimiter agnove-

runt & conſeſſi ſunt, aliud eſſe officium Executorum, aliud jus Patronatus, & hoc ab illo plane diſtinctum voluerunt in §. Endlich als es ꝛc. in verbis: alle Jahr denen Herrn Diaconis und Schneider-Elteſten als *Teſtamentariis* und dieſe hinwiederumb E.E. Rath als *Patrono* berechnen ꝛc. Et in toto illo inſtrumento cura executorum non niſi ad reditus eorumque exactiones & rationes refertur.

14. Equidem ut quibus finibus Executorum munus circumſcriptum ſit, plenius appareat, accidit aliquando, ut Executores ipſi pecunias exigere atque expendere teneantur, quin & latius quandoque poteſtas eorum extendatur. Sed id tum fit, cum alias nemo eſt, qui ejus rei curam ſuſcipiat aut ſuſcipere posſit, adeoque defectura esſet voluntas teſtatoris, uti ſi heres deficiat aut implere voluntatem nolit: quo caſu quidem per *Nov. 1. c. 1.* reliquis, quibus aliquid relictum eſt, permittitur ſuſcipere executionem teſtamenti cum onere præſtandi, quæ eo relicta ſunt. Quod ſi nec tales ſint, ſuccedit Magiſtratus in executione ultimæ voluntatis per *l. 30. §. 9 ff. de fideic. lib.* Si vero Teſtator ipſe quoque Executores Teſtamenti conſtituit & hi intra præſcriptos officii ſui fines de quibus jam dictum eſt, exeqvuntur; Sed & ſi vel nulli ſint, vel illi quoque cesſent, omnis executio pertinet ad officium Magiſtratus *d. l. 30. §. 9.* de quo mox pluribus.

15. Inprimis vero id fit, cum teſtamentum ad pias cauſas factum, & præcipue ſi ad redemtionem captivorum aliquid relictum eſt. Cum enim ipſi captivi quibus id relictum eſt, ab herede petere & exigere non posſint, vel quia ad eos notitia legati vix pervenire poteſt, vel quia ipſa captivitate impediuntur, necesſarium prope

fuit

Digitized by Google

fuit, certos ei rei executores teſtamenti conſtituere, ne tam pia teſtatoris voluntas fruſtretur & plane deſtituatur. Eademque in reliquis piis cauſis fere ratio eſt, quorum jura facile negligerentur, niſi cura eorum certis Executoribus cōmiſſa eſſet, ad quos tum totius negotii ſolicitudo pertinebit. Quin hæc prima conſtituendi Executores Teſtamenti cauſa ac primæva origo fuit. Propter hujusmodi enim cauſas, ſcil. redemtionem captivorum, alimenta pauperum, ſimilesque pias cauſas, quæ ſibi proſpicere non posſunt, executores initio conſtitutos fuiſſe patet ex *l. 28. §. 1. C. de Epiſc. & Cler. Nov. 131. c. 11. &c.*

16. His ergo caſibus aliquando latior Executoribus poteſtas competit, non vi propria officii, ſed ſpecialis mandati taciti, ex notisſima illa regula; Cui quid mandatum eſt, ei omnia ſimul mandata intelligi ſine quibus mandatum exequi nequit. *arg. l. 2. ff. de Jurisd. l. 234. §. fin. ff. de Verb. ſignif. l. 3. in fin. ff. de pen. leg. l. 62. ff. de Procur.* quod certæ rationis perpetuique juris eſt.

17. Quod ſi ergo vel non ſint Executores, vel officio ſuo deſint, ſuccedit omnino officium Magiſtratus, uti in rebus ſecularibus, ſecularis, *per d. l. 30. §. 9. ff. de fideic. lib.* Ita in piis cauſis Epiſcopi *per l. 28. C. de Epiſc. & Cler. Nov. 131. cap. 11.* Idemq; conſtat ex *c. 17. c. 19. X. de Teſtam. c fin. eod. tit. in 6. Clem. in eod. tit. Mev. ad jus Lub. part. 2. tit. 1 art. 15. n. 30. & ſeqq.*

18. Unde efficitur, tria in univerſum esſe genera Executorum Teſtamenti. Nim. 1. Heredes ſcripti ex jure communi, *Mev. d. art. 15. n. 2. & 3.* aut qui in eorum locum ſuccedunt, ex *Nov. 1 cap. 1. vid. ſup. §. 13.* 2. Executores teſtamento dati, de quibus hactenus dictum eſt. 3. Magiſtratus ordinarius; juxta *d. §. 16.*

19. Hoc

Digitized by Google

19. Hoc igitur jus & officium exequendi teſtamenta, quod juri & officio Magiſtratus cohæret, primario eſt ſummæ Poteſtatis ſeu Principis, â quo, uti omnis poteſtas Magiſtratuum, quaſi â fonte fluit, quatenus aliis quid inde commiſſum eſt. Hujus igitur Poteſtatis non modo principaliter eſt compellere & heredes & executores, ut partes ſuas ex norma ultimæ voluntatis impleant & exequantur, ſed & modum & leges exequendi dare, quæ legiſlatoria poteſtas propria ejus eſt. Atque ita inprimis in piis cauſis executio Epiſcopis tribuitur, & Jure quidem Canonico ſoli poteſtati Eccleſiaſticæ vindicatur. *vid. §. 16. & loca ibi all.* At vera juris ratione & illud poteſtati civili conjunctum & ſubjectum eſt, & hoc jus inter Evangelicos Reges ac Principes reſtitutum, iterumque jus ſummum Epiſcopale iis vindicatum eſſe conſtat; & inferioribus Magiſtratibus hactenus competit, quatenus ipſis conceſſum communicatumque fuerit: De quo ad quæſt. 3. pluribus.

Reſolutiones Dubiorum.

Non videtur his ita expoſitis, dubii aliquid amplius reſidere in cauſa.

Etenim 1. data fuit poteſtas exequendi Teſtamentū, cujus officii fines jam deſcripti ſunt; non præſentandi vel vocandi Profeſſores, cujus nec ulla mentio exiſtit in teſtamento; nec ſub nuda executione teſtamenti illud continetur, nec teſtamento concedi quidem poteſt: prout latius jam demonſtratum eſt. Quid reſponſurus vel diſpoſiturus fuiſſet, non quæritur, ſed quid diſpoſuerit. Neque talis ratio, qua DD. utuntur, concludit ad

jus,

jus, quod unice ex ipſa diſpoſitione naſcitur, non ex eo, quod forte diſpoſiturus in caſum fuiſſet, non autem diſpoſuit. Sed & negatur ita reſponſurum fuiſſe, neque id probatum eſt. Denique negatur jus Patronatus teſtamento dari, adeoque ita reſponderi potuiſſe.

Eadem Reſponſio eſt ad Rat. dub. 2. Non enim commiſſum eſt Executoribus jus Patronatus, adeoq; nec in eo jure, quod datum non eſt, exercendo Senatus auxilium petitum. Sed tantum in cura, ut teſtamentum impleatur, quæ nihil commuue habet cum jure Patronatus.

3. Sequitur reſponſio ex traditis in *Rat. decid. n. 16. & ſeqq.* fuit enim caſus, quo ſine hoc actu exequi teſtamentum & tueri legatum non potuerunt, imminente ſcil. periculo ejus amittendi lapſu temporis teſtamento præfixi; & nemine implendæ legis curam agente. Non igitur ex jure quodam Patronatus vocarunt, ſed vi mandati, quod aliter exequi non potuerunt. Sed nec quiſquam jus, quod alias non habet, ex ſolo actu ſuo & exercitio conſequitur. Quin Senatus multo plures & pleniores actus exercuit, ut ſi ea ratio ſubſiſteret, ejus jus potius foret.

4. Barth. *dd. ll.* expreſſe id ipſum docet, quod jam tradidimus in *Rat. dec. n. 15.* Loquitur enim de caſu, quo pauperes vel captivi heredes inſtituti; adeoque ſi nemo alius ſit, qui exequi poſſit, executores loco eorum ſunt, quoad executionem ſeu præſtationem eorum, quæ relicta ſunt, cum ipſi captivi & pauperes, qui heredes facti, non poſſint. Idemq; eſt, ſi alias heres vel implere nolit, aut deficiat, & tamen relicta præſtanda ſint. *per d. l. 28. C. de Epiſc. & Cler.* ut ſatis jam declaratum fuit.

 5. Abu-

5. Abuſus neque jus facit, neque ſtatim tollit.

Nec. 6. Reſponſa Juris & Sententiæ obſtant: tum quia de cauſa poſſesſorii quæſitum fuit, tum quia invicem contraria ſunt & utraque Pars habet, quæ pro ipſa pronunciata ſunt. Ut nihil nunc reliqvum ſit, quam ut quæratur, quid verius ſit.

QUÆSTIO II.

An Executorum Teſtamenti Officium exſpiraverit eorum morte?

Equidem de iis, qui proprio nomine ſuo appellati ſunt, dubitari nequit.

Nam 1. hæc executio inſtar mandati fuit, ut Qu. I. demonſtratũ eſt; mandatum vero morte tolli ac finiri conſtat. *l. 26. princ. l. 57. ff. Mandat.*

2. Teſtator fidem eorum ac induſtriam ob ſingularem, quæ ipſi cum illis intercesſit, amicitiam elegit, §. damit aber alles ꝛc. in verbis: Wie ich denn itzt-benannte *Teſtamentari*en dienſtlich und umb GOttes-willen gebethen / zu Ihnen NB. als meinen vertrauten Freunden auch das gäntzliche Vertrauen geſetzet haben will / daß Sie ſich meiner *Diſpoſition* Brüderlich annehmen ꝛc. Quæ amicitia, fiducia & amor fraternꝯ inter perſonas eſt, nihilque perſonalius.

Nec 3. Si quis certi hominis fidem elegit, id perſonam excedit *d. l. 57.*

Atque ita 4. morte hoc officium finiri DD. conſentiunt. *Mev. ad Jus Lub. d. p. 2. tit. 1. art. 15. n. 27. 28.*

Ne-

Neque vero 5. officia ad heredes tranſeunt. Hinc conſequitur omnino, quod nec ſubſtituere alios poſſint, inprimis poſt mortem, quod iisdem rationibus probat. *Mev. d. art. 15. n. 13. 14.*

Verùm quod ſpectat Seniores Sartorum, an & eorum, qui tum fuerunt, morte extinctum ſit officium, ea voluntatis eſt quæſtio, & dubium eſt, quæ mens Teſtatoris fuerit. Quod illorum quoque perſonis tantum id commiſſum voluerit oſtendi videtur,

1. Interpretatione à conjunctis & comparatis facta. Videtur enim ſenſiſſe Teſtator, ut veluti reliquorum Executorum ita & Seniorum morte officium terminaretur, cum omnes ſermone comparaverit. Incongruum autem videtur, eos, quos ſermonis ſimilitudine copulavit, diverſæ adeo conditionis intelligi.

2. Ratio ejus: daß er zu ihnen als ſeinen vertrauten Freunden/das gäntzliche Vertrauen habe: generalis eſt, & indiſtincte de omnibus id profeſſus, adeoque in omnibus perſonæ fidem ſecutus eſt. Et cum hac unice ſpectata Executorum fide & amicitia commotum ſe memoret, ut eam ipſis curam committeret, referri & extendi id non poteſt ad eorum Succeſſores, qui vel inimicisſimi vel corruptisſimi eſſe potuerunt.

Sed & 3. non videtur cogitaſſe Teſtator de perpetua Executorum conſtitutione, cum triennio opus abſolvi voluerit. Conſtat autem perfecto negotio, cujus cauſa executores conſtituti ſunt & lapſo tempore finiri eorum officium. *l. 17. C. de Procurat. Mev. ad Jus Lubec. p. 2. tit. 1. art. 15. n. 29. Joh. Jac. à Cannib. de Execut. ult. vol. p. 3. c. 3.*

Neque 4. ratio dari poteſt, cur p. m. Teſtator Viros rerum ac Juris peritos ad tempus tantum conſti-

tuerit, eorumq; in officio, quod talem peritiam exigit, ſucceſſores excluſerit ; Sartorum autem poteſtatem perpetuam eſſe voluerit.

Et 5. Cur Sartoribus ſolis perpetuam poteſtatem conceſſiſſet, cum certum ſit eos ſolos his curis pares non eſſe; Quod & ipſi Teſtatori ſatis exploratum perſvaſumque eſt, quippe qui propterea eos pluribus aliis Conſultisſimis Viris demum adjunxit; neque adeo ea mente fuit, ut illi ſoli quoque, reliquis mortuis, tam gravi rei præeſſent. Quæ pleraque Principis quoque Reſcripto ſub dato d. 6. Febr. 1706. probe expenſa ſunt.

E contrario verò, quod perpetuare Sartorum Seniores atque ad eorum in hoc officio ſucceſſores quoque devolvi hanc curam voluerit, inde imprimis colligi videtur, quod non, ut reliquos, ita & hos nomine proprio vocaverit, ſed nomine officii, quod perpetuũ eſt & ſucceſſione ſemper continuatur, quaſi nunquam intermiſſum. Nam & alias ex hac appellandi differentia inferri in jure ſolet alia Teſtatoris voluntas. *arg. l. 24. junct. l. 23. ff. Ad SCt. Treb. l. 124. ff. de legat. lib.*

Adde quod Teſtator, non uni ſartori, quod perſonale videri atque ad affectum perſonæ referri poterat, ſed pluribus, nec tamen aliis quam Senioribus, vices has commiſerit, adeoque hanc qualitatem potius, quæ & in futuris Sartorum Senioribus perdurat, quam perſonas reſpexiſſe intelligendus ſit.

Quin nec ſine cauſa id feciſſe videtur Teſtator. Etenim ex teſtamento apparet, quam enixam pauperum Studioſorum curam habuerit, eosque inprimis Collegii Alumnos eſſe voluerit. Cum igitur tales fere ſint Opificum quoque liberi, ex horum cenſu quoq; quosdam elegiſſe videtur, qui communem hanc pauperi-

orum

orum cauſam defenderent ac caverent, ne locupletioribus alumnis prælatis, egenorum & opificum liberi excluderentur.

In hac itaque voluntate Teſtatoris valde dubia dicendum omnino eſt, judicium penes Principem ceu Summum Epiſcopum eſſe, atque ab ipſius arbitrio ſtare, quid piæ voluntati Defuncti convenientius & cauſæ piæ ex mente Teſtatoris conſultius ſit. Cum igitur omnino expediat ad tuendum hoc pauperum beneficium, ut ex eorum numero ſint, qui communis beneficii curam gerant eorumque officium certis legibus ac finibus circumſcribatur, omnino arbitrium ejus & poteſtas penes Principem erit.

QUÆSTIO III.
Cui competat Jus Patronatus hujus Collegii?

1. Inprimis præmonendum eſt, Jus Patronatus duplex eſſe, & pertinere tum ad Scholas tum ad Eccleſias; & utrarumque parem omnino rationem & conditionem eſſe. *Carpz. Jurispr. Conſiſt. lib. 1. defin. 78. n. 3.* Nam & Scholæ recenſentur inter bona Eccleſiaſtica; *R. I. 1544. §. 88. Pac. Oſn. art. 5. §. 25. & 31.* & præcipue comparantur quoad Jus Patronatus, quo Scholarum æque ac Eccleſiarum miniſteria præſentantur, juxta *Pac. Oſn. d. art. 5. §. 30.* in verb. *Inſtitutio Miniſteriorum, tam Scholaſticorum quam Eccleſiaſticorum, Jus Patronatus & ſim.* Conf. *Ern. Cothmann. vol. 2. Reſp. 64. n. 10. & ſeqq. Matth. Steph. de Jure Patr. part. 1. cap. 9. n. 1.*

2. Videndum ergo cui jus Patronatus, quin & in

Digitized by Google

in genere ad quem cura hujus Collegii pertineat? Quod ut appareat evidentius, inprimis notandum eſt, Juris Patronatus, quantum ad noſtrum quidem inſtitutum, duo genera probe diſcernenda eſſe. Aliud enim eſt jus Patronatus, quod Privatis quoque competere poteſt, iisque acquiritur certis modis, fundatione, extructione & dotatione. De eo agitur in Jure Canon. *tit. de Jur. patron.* & ſupra jam aliquid dictum Quæſt. 1. Idque à Dd. dici ſolet Jus patronatus Minus aut Vulgare. *Matth. Steph. de Jur. patr. part. 1. c. 3. n. 4. 5. 6. & cap. 5. n. 1. ſeqq.* Aliud autem eſt, quod ſummæ poteſtati ſeu Principi competit & Regium a DD. appellari ſolet. *Matth. Steph. d. cap. 3. n. 4. ſeqq. & cap. 4. per tot.*

3. Etenim natura Summæ Poteſtati inſidet jus tuendi, uti omnem Remp. ita & inprimis Eccleſias & Scholas ac pias cauſas. Unde ea & ad res ſeculares & ad Eccleſiaſticas refertur; & omni jure ſummum illud imperium reip. tum ad ſacra tum ad ſecularia pertinet. Quemadmodum ipſa hujus publici juris definitione comprehenſum eſt, qua Jus publicum, quod ipſum Jus Imperii eſt, dicitur conſiſtere in Sacris Sacerdotibus & Magiſtratibus, id eſt, in ſacris & ſecularibus *l. 1. §. 2. ff. de juſt. & jur.* Quod & demonſtrat illa legiſlatoria poteſtas, qua omnes Impp. Romani, Græci & Germanici æque circa Sacra & Sacerdotes, quam circa Secularia perpetuo & ab omni memoria, usque ad uſurpationem Jure Canonico cœptam, uſi ſunt, neque in dubium id cadere poteſt. Quod à perpetuo omnium gentium uſu, omnique jure arcesſivit *Illuſtr. Dn. Præſes Diſput. de Fund. in terr. pot. tit. 3. per tot.*

4. Ita Imp. Romanus eſt ac dicitur ſummus Eccleſiæ Patronus & Advocatus, Obriſter Voigt oder Advo-

cat der Kirchen. *R. I. 1529. §. 1. Conſtit.* wieder die Wieder-Täuffer *de eod. ann. §. 1. R. I. 1548. §. 6. R. I. 1530. §. 10. R. I. 1541. §. 19.* Item Rechter Vogt / Schutz- und Schirm-Herr der Kirchen. *R. I. prior. de 1512. §. 4. R. I. 1518. §. 1.* Atque ita in omnibus Capitulationibus Impp. ut ſupremi Eccleſiæ Advocati ſeu Patroni juratò promittunt tueri Eccleſiam &c. *vid. Capit. JOS. art. 1.*

5. Simile Jus Summum Advocatiæ ſeu Patronatus pari ratione omnes Reges, Principes, ac Reſp. meritiſſimo ſuo jure ſibi vendicāt, quippe quibus ſūma poteſtas, aut territorii ſui ſuperioritas & cum ea jus ſummum Epiſcopale certiſſima ratione competit, & Evangelicis Regibus ac Rebusp. per reformationem jure ſummæ poteſtatis factam, in Imperio vero etiam per Pacem Religioſam & Oſnabrugenſem plenarie reſtitutum fuit. vid. *Illuſtr. Dn. Præſes Jur. publ. cap. 22. §. 18. ſeqq. & cap. 23. §. 15.*

6. Equidem ex ſententia Juris Canonici hoc jus Patronatus Regium ab origine ſua & gemina indole immenſum deſcivit, ut non tantum â ſumma poteſtate eccleſiaſtica, quippe quæ Clero pleniſſime tributa fuit, divulſa, ſed & ab ipſa poteſtate ſeculari prope ſegregata fuerit, utpote quam Clerus plane non agnoſcit. Adeo itaque deformatum hoc nomen fuit, ut quaſi extra numeros, & proprie nec pars ſummæ poteſtatis Politicæ, nec pars Eccleſiaſticæ eſſe videatur, & in ejus juris Advocatiæ cenſum abjectum, de qua dici ſolet: Schutz und Schirm gibt keine Obrigkeit.

7. Clementiore itaque fato, & benigniore ſidere hoc jus Patronatus nativæ ſuæ origini redditum & in Imperio inter Evangelicos huic malo medela inventa per Pacem Religioſam & Oſnabrugenſem, ita ut ſumma

ma poteſtas ſuo jam jure cùm jus illud Patronatus Regium, tum ipſam poteſtatem Eccleſiaſticam ſeu Epiſcopalem jure optimo ſibi adſerat, atque adeo hæc tria ab invicem invita ipſa natura divulſa, auſpicatisſimo fœdere in priſtinam originem, id eſt, cum ſumma Reip. poteſtate iterum coaluerint.

8. A jure igitur Patronatus Regio quoque differt adhuc ipſa Jurisdictio Eccleſiaſtica ac Jus Diœceſanum. Fincheſthaus. *de Jur. patr. cap. 2. n. 19 & ſeqq. Matth. Steph. d. tr. part. 1. c. 3. n. 7. & cap 7. n. 39. ſeqq.* Eo enim omnis poteſtas cum Epiſcopalis tum Papalis & legiſlatoria circa ſacra & eccleſiaſtica comprehenſa eſt. *Illuſtr. Dominus Præſ. in Jur. publ. c. 22. §. 15.* Sed differunt tanquam partes ejusdem integri, ſcil Summi Imperii ac Joris Regii, ſeu inter Status Evangelicos ſuperioritatis territorialis, cui natura & origine cohærent, & in quem communem quaſi fontem ac caput omnia hæc jura confluunt & quaſi corrivantur.

9. Hac ratione igitur cura ut Eccleſiarum, ita & Scholarum, in univerſum competit ſupremo Principi uti Supremo una Epiſcopo, *arg. c. 2. c. pen. X. de Magiſtr. Clement. 1. eod. tit.* Atque hinc cum inter jura Regalia, tum inter jura Epiſcopalia recte refertur, ut in eo conſentiunt Noſtrates, Evangelici, inquam, qui curam omnem utrarumque promiſcue vendicant JuriEpiſcopali, adeoque Magiſtratui ordinario, cui jus illud admixtum eſt. *Carpz. Jurisp. Conſiſt. lib. 3. def. 119. n. 5. & lib. 1. def. 78. n. 4. Mev. part. 7. def. 79. n. 9. & per tot. Cothmann. vol. 2. Reſp. 64. n. 24. n. 31. & paſſ. vid. inf. §. ſeq. Matth. Steph. d. tr. part. 1. cap. 4. & paſſ. Reinking. de Reg. Sec. & Eccl. Lib. 3. claſſ. 1. cap. 1. n. 20.*

10. Unde conſequens eſt, inferioribus Magiſtratibus

tibus

Digitized by Google

tibus non ultra id competere, quam conceſſum apparet; uti id iis relictum conſtat in inſtituendis Scholis privatis ſeu, ut vocant, Trivialibus; Quales ſunt in quibus linguæ & ratiocinationis rudimenta inculcantur, *Matth. Steph. d. tract. p. 2. c. 1. n. 10. ſeqq. Cothmann d. Reſp. 64. n. 7. & n. 28.* Ab iis vero differunt Collegia, in quibus & Theologicæ aliæque diſciplinæ ſuperiores traduntur, quæ publicæ & ſuperiores dici ſolent. Quæ differentia apparet *ex cap. pen. X. de Magiſtr.* & ubique Gentium obtinuit. *Matth. Steph. d. part. 2. cap. 1. in fin. cap. 2. ſeqq. Cothmann d. Reſp. 64. paſſ.* ubi diſputat contra Capitulum & Clericos, qui Senatui urbano omnem Scholarum, etiam privatarum ſeu trivialium, curam auferre & ſolis Clericis tribuere volebant. *n. 7. n. 47. &c.*

11. Pari prope ratione etiam eccleſiaſticum religionis exercitium diſtinguitur in publicum & privatum, de quo latius proviſum eſt. *Pac. Oſn. art. 5. §. 31. 32. 33. 34. 36. 37.* Quemadmodum & Romani Sacra privata habuere, ipſis quoq; ut nec aliis populis, non inſolens fuit ea diſtinctio *l. 9. §. 1. ff. ad L. Jul. pecul.*

12. His ita extra dubium conſtitutis, quemadmodum jam ad Quæſt. 1. fuſius expoſitum eſt, Executoribus Teſtamenti non competere Jus Patronatus; ita nunc paucis diſquirendum: An & quale Jus Senatui Ampliſſimo Urbis indultum fuerit?

13. Id quidem primo certum eſt, Teſtamento Jus Patronatus nemini ulli conceſſum eſſe. Ex eo enim, quod Teſtator Senatum rogavit, ut tanquam Patronus Scholarum aſſiſteret Executoribus, nihil aliud ſequitur quam quod agnoverit, eos eſſe Scholarum Patronos; non autem quod ipſe iis Jus novum conceſſerit. Neque iis verbis conceſſio juris, quod non habent, ſed

narratio juris; quod habent, demonſtratur, cum ſint mera verba narrativa, non diſpoſitiva, verba ſc. quibus Jus ante jam exiſtens refertur, nullum in futurum tribuitur.

14. Nec magis ſequitur, Teſtatorem feciſſe Collegiũ acceſsionẽ Scholæ, ex eo, quod Scholæ æſtivæ locũ Collegio extruendo accommodatum exiſtimavit, quæ Schola fuit Senatus. Non magis enim inde ſequitur eſſe acceſsionem Scholæ, quam ſi civis alicujus ædificium ei rei aptum eſſe crediddiſſet, ideo Collegium acceſsio civis ejus factum fuiſſet. Neque voce Scholæ æſtivæ continetur Schola, cũ loco illo non haberetur, neq; eſſet ædificium inſtructum, ſed ſumtibus Teſtatoris extruendũ atque ornandum. Neque diſpoſuit Teſtator, ut Collegium ibi conderetur, ſed ut decorum Auditorium ex reliqua pecunia erigeretur relicta Executoribus libera optione loci; addidit tamen, quid ſibi conſultius viſum fuerit, propterea quod putavit minore ſumtu & temporis rerumque diſpendio hoc loco, quam alio Ædificium perfici poſſe. Hoc ergo nudum conſilium nullum jus parit. *per l. 2. §. ult. ff. Mandat. §. 6. eod. tit.*

15. Quale verò ſpeciali Privilegio Principis An. 1623. d. 12. Jul. conceſſum ſit inclyto Senatui Jus Patronatus in Eccleſias & Scholas, videamus. Privilegii tenor hic eſt: Derowegen dañ; und aus andern vordringenden Urſachen/wir bewogen worden/ ſolches *Jus Patronatus* bey *St.* Marien Kirchen/und alſo über alle in *N.* verhandene Kirchen/ Schulen und *Hoſpitalien*/ Burgemeiſter und Rath daſelbſten ohne einigen Vorbehalt/ *Limitation* u. *Reſtriction* gäntzlich einzuräumen und heimfließen zu laſſen. Thun auch daſſelbe hiemit und in Kraft dieſes mit guten Vorbedacht/wolwiſſentlich alſo

und dergeſtalt/ daß Burgemeiſter und Rath hinführo wahre *Patronen* mehr berühreten Kirchen ſeyn und bleiben/ alle zum *Jure Patronatus* gehörige Gerechtigkeit und Befugniſſen einhaben/ *proprio jure* und eigenmächtig genieſſen/ gebrauchen/ verüben/ *exerci*ren und verwalten/ die *Paſtores, Capellane, Præceptores* der Schulen und was demſelben mehr angehöret / wie ſolches den *Patron*en in unſerer Kirchen-Ordnung zugelaſſen wird / ohne einige vorhergehende Unſere und nachkommenden Herrſchafft *approbation, voci*ren und ohne einige Behinderung beruffen und in ihren Nahmen mit gewöhnl. Beſtellungen verſehen; auch ſonſt in ſolchen *Vocationibus,* wie auch bey den gewöhnl. *Inſtitutionibus* der Prediger und andern *Actibus Patron*en benennen mögen und ſollen ꝛc. ꝛc.

16. Hic duo in quæſtionem venire poſſunt: (1.) Quale jus patronatus in privilegio contineatur. (2.) An hujus Privilegii ſenſus ad hoc quoque Collegium novum referri poſſit?

17. Ad prius quod attinet, dicendum plane videtur, tantum intelligi Jus Patronatus vulgare, quod in præſentando ſeu vocando Miniſtros & quæ eo pertinent, conſiſtit; Non vero Jus Patronatus Majus, nedum ipſa Jurisdictio Eccleſiaſtica.

18. Id inde apparet (1.) Quia illud proprie & regulariter Jus Patronatus dicitur, idque ſolum hoc nomine in jure *Can. tot. tit.* de Jure Patronatus X. & in 6. venit. (2.) Ex ipſo tenore Privilegii, quo tantum conceſſum eſt jus præſentandi ſeu vocandi Miniſtros, & quæ eo pertinent. Quod enim eo conceſſum ibi dicitur, hoc eſt: alle zum jure Patronatus gehörige Gerechtigkeit ꝛc. (3.) Ex iis, quæ ante conceſſionem acta ſunt. Cum e-

Digitized by Google

nim Jus Patronatus antea fuit Ordinis Sonneburgici derelictumque poſt reformationem; Senatus ex hac cauſa petebat Jus Patronatus, quod Salaria præberet Miniſtris &c. adeoq; ex cauſa dotationis, ex qua non aliud quæritur Jus Patronatus quã vulgare illud, de quo jam diximus. *Finckelth. de Jur. Patr. cap. 4. n. 63. n. 70. ſeqq. Matth. Steph. d. Tr. part. 1. cap. 15.* Quibus (4.) Accedit, quod jus patronatus Majus ac regium illud cohæreat ſummo Juri territoriali & Epiſcopali, nec conceſſum intelligatur, niſi ſpecialiter expreſſum ſit: ut ſup. jam expoſitum eſt.

19. Alterum quod concernit, videtur (1.) Privilegium diſerte reſtrictum ad Eccleſias & Scholas, quæ tum fuere, ita enim verba ejus ſe habent: Solches *Jus Patronatus* bey *St.* Marien Kirchen und alſo über alle in *N. NB.* vorhandene Kirchen / Schulen und *Hoſpitalien* / Burgeml. und Rath daſelbſten einzuräumen ꝛc. Loquitur ergo manifeſte tantum von denen damahls vorhandenen ſeu de tunc exiſtentibus; neque tunc fuere Vorhanden/quæ plane non extitere. *per l. 23. princ. ff. de ſerv. præd. urb.* (2.) Etſi ad futuras extendi poſſet, non tamen poſſet, niſi ad Scholas ſimiles, quales tum fuere; ſcil: triviales, ut vocantur, non autem ad Collegia ſuperiora. *vid. ſup. §. 10.* Jure igitur in inferiores Scholas conceſſo, in ſuperiores quoque conceſſum non intelligitur, niſi probetur. (3.) Sed & conceſſum id iis eſt in Scholas, quas ſub ſumtu Senatus exhibeat, ea enim ratione uſus eſt. Hujus autem Collegii ſumtus non fert Senatus; ſed propriâ illud dote ſuſtinetur. (4) Ex verbis Privilegii apparet Jus Patronatus principaliter inhærere Eccleſiæ D. Mariæ, & in reliquas Eccleſias & Scholas exerceri ut dependentes ab illa quaſi Cathedrali. Ita

enim

enim dicitur: Solches Jus Patronatus bey *St.* Marien Kirchen und *NB.* alſo über alle vorhandene Kirchen &c. Atqui hoc novum Collegium proprio ſuo jure munitum fundatumque eſt, neque fundatione ea continetur, ut dependeret ab alia Eccleſia Urbis.

20. Et quamvis à parte Senatus allegari posſit, tum quod B. Teſtator eos agnoverit Patronos, tum quod in fundo vel area Senatus inſtitutum ſit hoc Collegium; Quousque tamen hæc omnia ad rem facere videantur, jam explicatum eſt: *Conf. Finckelth. d. tract. cap. 4. n. 49. & ſeqq.*

21. Ex his jam tuto concludi poteſt, & Jus Patronatus Majus & omnem Jurisdictionem eccleſiaſticam cum omni Jure Diœceſano ac poteſtate legislatoria in hoc Collegium competere Summo territorii PRINCIPI & EPISCOPO; Atque ipſius adeo Judicium atque arbitrium eſse modum rei ſtatuere, legemque ita dicere, an & quænam partes exequendi Sartorum, quæ præſentandi Senatus ſint, prout Piisſimi Teſtatoris voluntati congruere, & ipſi huic Piæ Cauſæ & literarum Studiis expedire & proficere videbitur. Neque enim tantum Summus PRINCEPS illum ſtatum quem Fundator ordinavit tueri, ſed etiam in meliorem & ſuperiorem erigere poteſt; Neque eo facto imminuitur ea fundatio, ſed augetur & juvatur: Quod omnino licitum eſt per *c. 4. c. 7. & paſſ. X. de Vot.*

CONCLUSIO.

Pluribus nobilisſimam hanc materiam perſequi nec temporis nec muneris demandati permittit ratio, quod finem operi imponere Domumque redire jubet. Illi quorum intereſt hæcce legisſe, vel nemine monente

intel-

intelligent, nos neque partium ſtudio, neque pugnanpi cupiditate, ſed veritatis amore ea, quæ ad augendum Collegii hujus ſplendorem pertinent, in medium attuliſſe. Non Nos, ſed Leges & divinæ & humanæ Principibus curam imponunt tuendi Eccleſias & Scholas, & quam ceteris adimunt, ipſis tribuunt ſummam in Sacris poteſtatem. Æqvum eſt Officinas literarum & Sapientiæ Collegia evehi magis atque ornari, iniquum eorum incrementis eſſe impedimento. Dabunt Mæcenates id Gloriæ Dei, dabunt omnium Saluti, ut eos, qui Juventuti cupiunt conſultum, non modo non odio, ſed benevolentia proſequantur ſuoque adjuvent conſilio. Nos ſperamus fore, ut omnes de Studiis bene ſentientes conatus noſtros ſi non laude, ſaltem venia judicent dignos.

DEUM O. M. ardentisſimis obſecramus precibus, ut cœtus, in quibus tum traduntur tum imbibuntur ſalutares Scientiæ, conſervet integros, eoque majori eos muniat præſidio, quo triſtior his miſeris temporibus imminere illis videtur fortuna. Nunquam Eccleſiis & Scholis deſint Patroni, nunquam adultioribus literarum favor, nunquam junioribus deſit diſcendi cupiditas, nec unquam deerit

S. D. G.

Viro Amplisſimo JOACHIMO HENRICO LANGIO, J. U. Candidato & pro Licentia obtinendi Summos in Jure honores diſputaturo

D. JOACH. FRID. SCHMIDT, S. P. D.

Solidam Juris peritiam cum Artium, quæ ad humanitatem pertinent, notitia, & cum Sanctiore rerum divinarum Scientia conjungis. Tentarunt id multi: paucis vero contigit, niſi ingeniis feliciſſimis. Quoties vero

id

id factum, fato ceſſit fauſtiſſimo. Viri enim illi, qui in rebus Theologicis ita verſati, ut excellerent, cum ad caſtra tranſiere JCtorum, gloriam Dei etiam juſtitiæ Sacerdotio, & operâ legitimâ in jure exercendo poſitâ ab impetu adverſariorum defendi, eamque mirum in modum augeri poſſe exiſtimarunt rectiſſime. Nam quo major divinæ veritatis ſcientia ad juris affertur cognitionem hauriendam: eo facilius, eoque felicius leges enucleari poſſunt, ac æquitate Deo probata ad caſus ſubinde obvios applicari. Mens etiam divinis jam rebus penitus imbuta omni ſanctitate & providâ cautione jura hominibus ſcripta ita tractat: ut nihil agat, niſi quod cum lege conſentiat æternâ à voluntate Dei ſanctiſſimâ profectâ, quodque publicæ expediat ſaluti, & eorum ſerviat commodis, quorum cauſam tuetur. Imo leges juſta ſemper ratione ſuffultæ, quas JCti proponunt, ſunt decreta ex Dei voluntate expreſſa innocentiſſimâ, ad quam etiam tanquam ad verum principium illæ ſunt revocandæ. Tu igitur amice ſvaviſſime, cum ſcientiam Theologicam cum legum accuratiſſimâ notitiâ copules egregia emolumenta tum juventuti, tum etiam foro polliceris. Prioris eruditionis veſtigia jam extant plurima: poſterioris ſpecimina nunc edis ejusmodi, quæ JCti celeberrimi magnâ excipiunt lætitiâ. Gratulor inde Tibi ex animo de conatu tuo ad Dei gloriam & publica commoda ſpectante, & gratulandi materia exiſtit eo uberior, quo præſtantior eſt felicitas, quâ tibi eſt conceſſum, PRÆSIDE ILLUSTRI JCTO COCCEJO eruditionem, quâ inſtructus es, relinquere teſtatam. Gloria viri hujus tanta eſt, ut nulla ea unquam ſit deletura oblivio. Et ſi Irnerius quondam immortalem conſecutus eſt laudem, cum leges in tenebris & ſqvalore jacentes in lucem protraheret: ſane PRÆSES TUUS ILLUSTRIS non minorem meruit gloriam, cum diſcuſſis dudum juris tenebris majore id ſplendore illuſtret, ejusqce doctrina prorſus ſingularis oſtendat multa, quæ alii ante eum non viderunt. Lætare igitur hac, quæ tibi obtigit, felicitate, & interpretare eam tanquam indicium proſperi Succeſſus fatique benignioris. Perge, quâ cœpiſti mente, in propoſito laude digniſſimo. Pietate nunc munitus Theologicâ auxilioque Dei fretus quicquid ſuſcipies agendum, non dubito, quin ex animi ſententiâ ſit ceſſurum. Id quod ſanctâ mentis integritate tibi apprecor. Vale in Deo. Stargardiæ Pomeranorum d. 15. Septemb. 1709.

PARO-

Digitized by Google

PARODIA HORATIANA.

Ad

Prænobiliſſimum & Ampliſſimum Dominum,

DN. JOACH. HENR. LANGEN,

J. U. LICENTIATUM

digniſſimum.

COLLEGAM ÆSTIMATISSIMUM.

QVem jucunda CHARIS ſemel
Dilectum placido lumine viderit,
Illum non Sophiæ labor
Terrebit vigilem; non juga biſida
Recto dejicient gradu
Prudentem; neque res publica grandibus
Admotum officiis virum
Cum legum rigidos explicuit nodos
Reddet disſimilem ſui:
Sed Sanctæ Themidos ſcripta volumina;
Et fortes animi impetus
Divino facient robore nobilem.
DOCTOR, qui præit omnibus,
Dignatur ſoboles inter amabiles
Juris ponere Te lubens:
Et jam dente minus carperis invido.
O vis pectoris enthei
Legum quæ ſolidè culmina temperas!
O turbis quoque ſontibus
Donature habitus, ſi libeat, bonos!
Totum muneris hoc tui eſt,
Quod te fama vehit ſidera ad ardua
DOCTOREM Themidos piæ:
Spires & placeas! o placeas! Tuum eſt.

Boni ominis cauſſa

M. A. Stägemann.

ANT 1318135

Digitized by Google